

BENIGNITAS.

Gustate, et videte
quoniam suavis est
Dominus.

Ps. 33. v. 9.

CARMEN XVI.

Excelsus sedet in solio stellantis Olympi
Et premit imperio DEUS, et regit omnia nutu,
Et Majestate infinita, Altissimus ille est.
Sed non Majestas, non alta Potentia frontem

5 Asperat, aspectumve truce[m], vultumve
(severum
Reddit. Non illum excubiae, densaeque phalan-
(ges

Circumstant, atque armata statione coronat.
Accessum praebet facilem, nec denegat ulli,
Nec gemit exclusum se se mendicus, egenus.

10 Interea assueti nos coram Rege pavere
Circum armis, circum Excubitoribus undique
(septo,
Ut decet, et fieri omnino, prorsusque necesse est:
Quid par, quid majus male commentamur, et
(instar
Fingimus esse DEUM. pompa, fastuque tremen-
(dum,

15 Et similem indignanti, et semper acerba
(tuentem,
Semper et irata meditantem fulmina dextra.

Ah ! Meliora Pijis, erroremque hostibus istum!
Ingenio comis DEUS est, mireque benignus.
Omnibus hic aditus, omnes portaeque patescunt.

20 Ad Regem Regum fas est accedere cui-
(quam,
Fasque loqui, quanto et quo tempore cumque
(libebit.

Ipse suas precibus nostris accommodat aures
Et nunquam gemitus miserorum audire recusat,
Quin potius miseros ultro accersitque vocatque.

25 Vos omnes, quotquot fessi fractique la-
(bore,
Quique humeris onus, et pondus portatis ini-
(quum,

Et gemitis tristes, victique dolore, venite
Ad Me omnes, inquit, feram ego solamen, opem-
(que. [a]

Ipse humeros oneri supponam, vosque levabo,
30 Et curas demam, luctusque silere jubebo.
Vix tacitis illum lachrymis, gemituque vocamus,
Blandi instar Zephyri. volucrique volucrior Euro,
Auxilio venit, et dextram portendit amicam.

Segnius optamus nosmet solatia nobis;
35 Ocyor et properat, citior venit ille voca-
(tus.

Quin DEUS ipse urget nos, ut quaequumque
(volemus
Poscamus: fient, inquit, quaecumque petetis.

(a) Math. 11. v. 28.

Si Montem fortasse aliquem ab radicibus imis
Tollere, et avulsum in Mare praecipitare veli-

40 Nulla mora in Domino est: fiet, modo rite
(petamus. (a)

Quanto est plus Solem stare aut incedere retro?
Hoc et fecit utrumque, stetit, retroque recessit.
Prospicit e Coelo (b) quasi cura agitatus amoris;
Numquid homines illum agnoscant, illumve re-

45 Declinaverunt omnes, (c) et terga dedere
Quid DEUS? Abjiciatne, et justas surgat in iras?
Parque pari referens, obliviscatur amoris
Usque (ut ita hoc dicam) infelicis, tergaque ver-

Ah! Nostri meminit figmenti. (d) Et nil minus
(ille

50 Quam nos abjicere; indignari, et vertere
(terga.

Quin dolet, et sortem ex animo miseratus ini-

Quam temere primi nobis fecere Parentes,
Vertentes terga exquirat, sequiturque fugaces,
Quos longe, ab se se aversos malus abstulit error.

55 Errabundam ut ovem, et per devia quae-
(que vagantem,

Sollicitus quaerit Pastor, vestigia lustrans
Per dumeta, per et vepreta, per aspera quaeque.

(a) Math. 21. v. 21.

(b) Ps. 13. v. 2.

(c) Ps. 13. 3.

(d) Ipse cognovit figmentum nostrum. Ps. 102, v. 14

Et quamquam fessus tam longo errore viarum
Sudat; nec vultum meminit sudore madentem

60 Tergere, nec Solis furias aestusque veretur,
Nec gelidam noctem, matutinamque pruina.
Interdum dulci canit ore et arum line carmen,
Si cantum fortasse, et vocem agnoscant amicam.
Invenit tandem. Quanta, et quae gaudia miscet!

65 Ipse humeris portat, cunctosque accersit
(amicos,

Certatim ut secum solennia gaudia jungant.

Non noster Rex aut Dominus DEUS esse vi-

Sic est humanus, sic se demittit amori.

Servi humiles sumus ipsius; sed non placet illi

70 Dicere se *Dominum*; nec vult nos dicere
(*servos*) (a)

Nos illum *Patrem* docuit nos ipse vocare,
Filiosque modo, et modo nos appellat *Amicos* (b)
Quicquid in humanis dulce est, et arripit omne.

75 Adscivisse sibi dulcissima nomina *Amici*,
Et *Patris*, magnun erga nos necdum implet amo-

En tanquam sponsus Dominus! Quid dulcius hoc
[est?

Sanctam Animam *Sponsam* vocat, et vocat ille
(*Sororem*), (c)

Dilectamque suam, et Pulchram blandamque co-
(lumbam) (d)

(a) Job. 13. v. 15.

(b) Cant. 4. v. 1.

(c) Ibidem.

(d) Job. 13. v. 33.

80 Surge veni speciosa mea, et mea casta
(columba, (a)
Inque Foraminibus petrae faciam tibi nidum, (b)
Ouo Milvo praedone procul segura quiescas.
Ostende o faciem, tua facsonet auribus et vox: (c)
Nam tua vox est quam dulcis, faciesque decora.
85 Sic DEUS ipse, Deus suavis blanditur,
(amatque!

Quis nisi Divinis libris haec scripta legendo,
Talia vel dici vel scribi posse putaret?

Et quaenam tandem tutae illa foramina petrae
Sint, nisi quae manibus, quae pectore vulnera
(gestat?

90 Descripsi in manibus te, inquit: (d) descri-
(psit, et alte
Insculpsit: nec jam possit sua vulnera, cernens,
Non meminisse mei. Minus hoc; plus vulnera mor-
(tem

Pro me ferre; tulit, clavisque et sentibus horrens,
Divinum inclinans fessum caput, expiravit.

95 Omnino et nos ut DEUS, et sine limite amavit!
Interea, ah! homines stupor execrabilis urget
Et benefactorum fera non adeo immemor ulla est,
His obsurdescunt, capere et nec posse videntur.
Et quid ego haec surdis cano frustra, et perdo
(laborem!

100 At fuerit saltem veri experientia testis:
Vos o! Mortales capere experimenta, venite,
Vosmet, quam suavis DOMINUS, gustate, videte.

[a] Cant. 2. v. 13.
[b] Cant. 2. v. 12,
[c] V. 14.
[d] Is. 49. v. 16.

QUI FACIT MIRABILIA SOLUS.

Ps. 71. v. 18.

CARMEN XVII.

Nil admiramur nisi rarum; caetera crebro
Vilescent usu. Dubia vix luce Cometa
In coelo apparet, certatim accurrimus omnes,
Suspensosque aspectu oculos, animosque tene-
(mus;

5 Nec piget insomnem observando ducere
(noctem.

At Solem nil miramur, nec Sidera, quamvis
Quae miraremur tanto plus digna; sed illa
Vidimus a pueris, dudumque assuevimus illis.
Huic morbo DEUS ut medeatur, nosque veterno
10 Excitet et somno excutiat, miracula magna
Extentam interdum edit dextra, et verberat aures
Tanquam magno aliquo tonitru, grandique fra-
(gore.

Quam Gentem DEUS e reliquis sibi legerat
(unam

Religione piam, sanctisque Parentibus ortam
15 Vexabat Pharaon; dura et ditione premebat
Captivam. Totam sensim delere parabat
Impius electam stirpem, atque absumere totam
Servitio addictam infami, insanoque labori.
Armavit Mosem virga DEUS, ireque jussit,

20 Et portentorum magna vi rumpere vincla
Captivi Populi, et Regem terrere superbum.
Si scires quantam, heu! quantam Rex impie cla-
(dem

Et tibi, et Ægypto toti virga illa ferebat!
Principio in columbrum immanem conversa, mi-
(nacem (a)

25 Exsertans linguam, improvisaque guttura
(pandens,
Dentibus indignans, infrendensque ore voravit
Quos similes fecere Magi, aut finxere dracones.
Percussus virga tabo, obscenoque cruore (b)

Infectum se se obstupuit septemfluus amnis:
30 Interclusi animam, suffocatique repente
Interiore omnes sanioso in sanguine pisces.
Stagna lacus, fontes manabant sanguine putri,
Nec sedare sitim fas, aut restinguere lympha.

Dein virga Nilus rursus percussus cadem
35 Foedam colluviem densissimaque agmina
(fudit

Ranarum. (c) Totam subito urbem, compita, ca-
(lles,

Interiora etiam et secreta cubilia, mensas
Atque dapes, spissi glomeratae pulveris instar,
Miscentesque atrox, et ilaetabile murmun

40 Omnia complebant, foedabantque omnia
(ranae.

Dein Culices, (d) dein Muscarum genus o-
(mne, nigrante

(a) Exod. c. 7. v. 10
(b) Exod. c. 9. v. 6.
(c) V. 22. et seq.
(d) V. 20,

Turbine, et obscuro nimbo coelum omne tege-
(bant,
Et noctem ex oculis, exoptatamque quietem
Et somnum, stimulo, et multo stridore fugabant.

45 Successitque mira in pecudes saevissima
(pestis: (a)

Lanigerique greges, et passim armenta jacebant
Per campos, tetro inficiebant aera tabo.
Afflixit nova deinde lues pecudesque virosque,
Sordida serpebant, gliscebant ulcera, foedi

50 Manabant, arrodebant carnem, osaque
(vermes.

Nec vero hic juvere Magos (b) praestigiae et artes
Circacae, probrosam hanc ab se avertere pestem
Nullis carminibus miseri potuere, nec herbis.
At Rex [c] nec mentem insanam, nec ferrea cor-

55 Exuerat promissa dabat, promissa nega-
(bat.

In coelum intendit Moses virgam [d] illicet omne
Horruit, et justas coelum assurrexit in iras.
Antehac vix tonitru auditum, et vix cognita
(grando

Ægypto: ira tum coelum vix viderat unquam.

60 Tum primum elisos in terram e nubibus
(ignes

Vidit et obstupuit saxosum grandinis imbrem,
Et coeli irarum plenum horrisonumque fragorem.

[a] V. 10.
[b] C. 8. v 6.
[c] V. 17. et 24.
[d] V. 12.

Depopulabatur Silvas vastabat et agros
Grando, dejectae pini, cedrique ruebant

65 Cum gemitu: diram intentabat omnia mor-
(tem)

Rex incusabat se se, et recipiscere tandem [a]
Velle videbatur; sed vix terrore solutus;
Rursus ad ingenium vecors, fraudesque redibat,
Ecce Locustarum novus et epississimus im-

70 Ad virgae nutum irruit et quae grando
(ber [b])
(reliquit)

Omnia consumpsit, pessumdedit omnia dente.
Lugebant campi camposque effusa per omnes,
Perque domos etiam nubes inimica volabat,
Alatamque famen Ægypto, excidiumque ferebat,

75 At Pharao, necdum ingenium, aut desue-
(scere fraudes.)

Rursus ad imperium Mosis, virgaeque vocan-
(tis,

Incubere repentinae, horrendaeque tenebrae,
Quas sentire manu, quas atrectare licebat,
Et quales nunquam retro olim viderat orbis.

80 Nulli accensi ignes poterant, funalia nulla
Aut lucem impertiri aliquam, aut solatia ferre,
Aut tam crudelem, et tam spissam vincere no-
(ctem [c])

Terribiles visu formae, larvaeque tremendo [d]
Et sonitu circum et vultu horroremque metumque

(a) V. 27.
(b) V. 4.
(c) C. 10. v. 13.
(d) Sap. 18. v. 1.

85 Augebant. Lux interea placidissima, gran-
(di [a])

Miraclō, Hebraeis, medijs ridebat in umbris.
In media Ægypto, nullam sensere priorum
Plagarum, nullas et nunc sensere tenebras.
Prodebat se se, et palam erat manus Omnipo-
(tentis.)

90 At gravior clades, mage tristis plaga ma-
(nebat.)
Quotquot erant primi geniti, et spes prima pa-
(rentum. [b])

Cui Pharao haeredi sceptrum, et diadema para-
(bat,

Quique ad pristinum natus, modo primus in auras
Exisset, cunctos mors, et nox abstulit una.

95 Heu quantam, et quam tristem cladem!
(Funera ubique,

Clamoresque et singultus, et Matrum ululatus!
Tum demum victus Pharao, [c] concessit abi-
(rent

Hebraei: et jam bina illos praeunte columna
Ibant; sed necdum multum processerat agmen;

100 Poenituit Pharaonem. Ipse, innumeraeque
(phalanges,
Et quot erant Currus, [d] et equi, atque exerci-
(tus omnis

A tergo instabant, nova rursus nectere vincla,
Atque iterum totam captivam adducere gentem.
Ut vidit Moses venientes, sustulit alte

(a) V. 22.
(b) Ex. 12. v. 29.
(c) Ex. 13. v. 17.
(d) V. 27,

105 Virgam et Erythraeos percussit verberare
 [fluctus.
 Tum vero, Mare divissum [mirabile dictu!]
 Terram inter fluctus, nudamque reliquit arenam.
 Hinc atque hinc undae [Mirum!] in latera ardua
 [utrinque
 Arrectae steterunt, vasti instar mostis, et ibant
 110 Insuetum per iter, siccisque per aequora
 [plantis
 Hebraei. Pharaon sed enim, Currusque Virique
 Cum grandi armorum fremitu, et clamore sequaci
 Instabant, qua per fluctus via strata patebat.
 Insani, qui credabant, iter illud apertum

115 Esse sibi! Adverso contra stans littore Mo-
 [ses
 Virga iterum increpuit. Portentum! Protinus al-
 [tae [a]
 Undarum moles et praeruptissimi aquarum
 Montes, praecipites superincubere, superbum
 Et Regem, et cum Rege Acies, Currusque, Vi-
 [rosque

120 Una omnes, atque infanda involverer ruina,
 Gurgitibusque, et mantosis vastique sepulchris.
 Tot nuper, nusquam apparebant. Nemo superstes,
 Qui saltem cladem Aegypto, et portenta refer-
 [ret [b]

En quantam Aegypto, cladem virga illa ferebat!
 125 Magnus nimirum ó DEUS, et solus DEUS
 es Tu!
 Vilemetiam virgam, cum vis, facis Omnipotentem!

[a] Ex. 14. v. 6.

[b] Unos ex eis non remansit Ps. 105 v. 11.

REFUGIUM.

DEUS noster refu-
 gium et virtus, adju-
 t r in tribulationibus,
 quae invenerunt nos
 nimis.

Ps. 45. v. 2.

CARMEN XVIII.

Quam sumus ah! miseri mortales! Nascimur
 [omnes
 Flendo: sentimus primo ipso in limine vitae
 Quae mala nos, et quanta manent, et poenitet
 (auram
 Vitalem hausisse, et materno exisse sepulchro.
 5 Flendo etiam morimur. Lachrymae tunc
 [sponte fluentes
 Injussae exsiliunt, morientum et lumina claudunt.
 Humanum luctus vitam concludit utrinque,
 A luctu ordimur, luctu finimus eandem:
 A fine in finem lachrymarum uberrima vita est.
 10 Felices quibus extremas; aegreque cadent-
 [tes (a)
 Expressit jam mors lachrymas! Felicior ille (b)
 Qui necdum natos, nec vidit quae mala fiunt

(a) Ecclesiastes c. 4.

(b) V. 2.

Sub Sole, et necdum cervice exceptit acerbum
Triste jugum, infelices quod portamus Adami (a)

15 Posterum ab ipso utero jam Matris ad usque
[Sepulchrum!
Vita Mare, et Littus Mors est quo tendimus.

[Illac
Imus per fluctus, et amarum undique aquarum
Confictus, per mille vices, per mille pericla.
Quemque suae exercent poenae, curae remor-

(dent
20 Arcanae: suus unicuique recipiat aestus,
Itque reditque, et sopori, et requiescere nescit.
Hunc morbi excruciant; illum premit improba
(egestas.

Dives hic est, illum sitis insatiabilis auri
Urit, pauperieque ipsa crudelius angit.

25 Ardet adhuc pejus miser hic, cui subdidit
(ignes

Insanos malesuadus Amor, probrosa Libido.
Hic capuefferre, et dominari, et anhelat honores:
Nec tamen assequitur. Sunt umbrae, umbraeque
(fugaces.

Huic inimicitiae sunt, insidiasque veretur,
30 Horretque, et pavidus passim timet arma,
(venena.

Cives hic, illic agit discordia Fratres:
Vitriscus huic asper; dura illi, et iniqua noverca:
Huic uxor crux est, dudum jam nauseat illam.
Contra hic uxorem nuper sibi luget ademptam

35 Morte, et funereas taedas, taedasque ju-
(gales

(a) Ecclesiastici. c. 40 v. 12.

Heu! simul accensas. Matrem hic, hic luget Ami-
(cum:

Hic Puerum, qui nimirum spes sola Parentis,
Morte sua tristem, solumque relinquit, et orbem.
Sed quis percensere mala, atque incommoda re-

(rum
40 Humanarum, aut innumeros numerare
(labores?

Ut morimur nempe, utque orimur, sic vivimus
(omnes

Flendo. Haec sors nostra est. Vel cum tranquilla
(videntur

Omnia, cum praefert fusissima grandia vultus,
Laetitiamque sonant risusque, jocique petulci;

45 Cor luget: lachrymas male concoquit et
(premit intus.

Omnia felle madent. Nusquam sincera voluptas.

Conscius angorum, curarum et quisque suarum,
Quisque alium; semet nemo putat esse beatum.
Crescunt invidia magis hac mala nostra, quod
(unos

50 Nos miseros, unos infausto sidere natos;
Fausto alios, tristi delusi errore putamus.

Ac veluti excelsum Montem e convalle profunda
Cum procul aspiciamus, contingere vertice coelum
Credimus: at si illac fortasse ascendimus ipsi,

55 A coelo immensum quid adhuc distare vi-
(demus.

Etnihil ad coelum ultra vallem assurgere montem:
Sic alij est alius; sibi nemo est ipse beatus.

Error! Mortales aequae miseri sumus omnes!

Ecquis tam felix fuit, est ve, ut plura nec optet!

60 Ecqui Pax animi nullo turbata tumultu

Constitit? Heu! nostris quam longe illa exulat
(oris)

Siquando ostendit se se Mortalibus aegris;
Illicet aversata ipsos, terrasque perosa,
Subtrahit aspectu se se, et fugitiva recedit,
65 Vix abeuntem illam suspiria nostra se-
(quantur,

Succedunt animi angores, et pectora rodunt,
Subque alto effodiunt sibi corde cubilia curae.
Nec nos obniti contra tantumve, nec ipsae
Quem posuere semel curae, desuescere nidum.
70 Quiscunque adversis rebus, vel casibus
(actum

Stare animo immotum, ceu stat Marpesia cautes,
Et nec sentire, ut jactat bona turba Sophorum,
Grandiloquae nugae, mera sunt, et inania verba.
Sentimus mala nostra nimis, nec marmore nobis
75 Obrigit, nec fusum e ferro est, aereve
(pectus.

Proh! nimium infirmi sumus, et succumbimus
(ultro:

Deficiunt vires, languet cor, vivere taedet.
Utcunque horribilis Mors est; evanuit horror:
Plerumque optamus mortem, amplexuque voca-
(mus.

80 Tanta infelicis mortalis taedia vitae!
Nempe procellosum semper, nunquam quietum,
Vita mare est. Crebris miseri ludibria ventis
Volvimur huc illuc, et circumvolvimur undis.
Humanum nihil in tantis opis esse periclis
85 Quod queat affictosve manu, auxilioque
[levare.

Tu Deus unum es perfugium, spes una salutis

Quae superest. Desperatis succurrere rebus
Unus tu, et solus potes, atque imponere, nutu,
Quam libet irato tranquilla silentia ponto.

90 Impera, et attoniti fluctus, ventique sile-
(bunt.

Obruimur. Tu porge manum, mediasque per un-
(das

Tuti incedemus pedibus. Calcabimus aequor,
Nec pandet se se, conculcatumve dehiscet,
Nec titubabit enim, nec nos vestigia fallent.



SPIRITUS DOMINI REPLEVIT ORBEM
TERRARUM.

Sap. 1. v. 7.

CARMEN XIX.

Postquam ab olivarum extollens se monte, vo-
(lucri.
Nube sedens, de mactata ab se Morte trium-
(phum (a)
Victor agens, super astra redux conscendit JE-
(SUS:

Qui fidi comites fuerant illum usque sequuti,
5 Cum jam frustra oculis ipsum sequerentur
(euntem,

Atque ibi ne haerent monuisset nuntius Ales, (b)
Tum demum ad Solyma inviti, tardique reversi.
Omnes gestire, et laetari; rursus et omnes
Flere, et sublatum sibi suspirare Magistrum.

10 Utsoliti, cum de nido usque ad nubila librat
Se se Aquila, implumes pulli pipire, querique.
Omnibus idem animus: conclusi paupere tecto,
In coelum mente erecti, pia vota precesque
Urgebant. Aderat JESU Sanctissima Mater, (c)

15 Lenibatque suis moerentia pectora verbis,
Et Gnati absentis munusque, vicesque gerebat.
Jamque dies decies quinque, et solemnia sacra

[a] Act. C. 1. v. 9
[b] " " V. 11.
[c] " " V. 14.

Instabant, *PENTECOSTE* de nomine dicta, (a)
Cum subito, sudo coelo, pigro aere toto;

20 Improvisum, ingens late increbrescere
(mur mur,

Et fragor audiri immanis, quasi saeva procella
Ingrueret; ruerentque in atrociam praelia venti.
Axe suo credas emotum, et cardine vulsum
Inclinari, actum praeceps descendere coelum.

25 Sed majus quid erat: nam demittebat O-
(lympo
Se DEUS: Ecce DEUS, sanctum, et Spirabile
(Numen

Cum sonitu venit, et vibratus ab aethere turbo
Flammarum, jubar immortale, innoxius ignis
Effundit se se in MATREM, Sanctumque Sena-
[tum.

30 Dein varie in varias linguas formatur: et
[igne
Desuper incumbente, DEUS, DEUS insidet ipse,
Omnipotens vigor, Arcana, Infinitaque virtus.

Extemplo firmati animi: quique ante latebras
Captabant pavidi, nec se producere coram,

35 Audebant; ultro irrumpunt, ardentque fa-
(teri

Discipulos, comitesque Hominis se se illius esse,
Crudeli nuper, probosa et morte perempti.

Quem vos supplicio infami, mortique dedistis (b)
Hunc DEUS inmortalem ad vitam a morte re-
duxit. (c)

(a) Act. C. 2. v. 1 et seq.
(b) " " V. 23. 24.
(c) " " V. 32.

40 Hisce oculis vivum, et redivivum vidimus
(illum
Nosmet, cumque illo nos manducavimus ipsi.
Hic est quem vates Sancti, quem oracula vestra
Olim venturum, dudum vos ante monebant.
Talia dum memorant, non verba; sed ore tonare
45 Ore videbantur proferre, et pectore flam-
(mas.
Tum forte ad Solyma, et Templum concursus,
(et ingens
Undique fervebat prisca ad solemnia turba.
Parthi ibi pugnaces a tergo, cladeque Crassi (a)
Insignes: Medique suo Dejoce superbi:
50 Qui Tigri, Euphrate hac, illac clauduntur,
(et arva
Inter utrumque colunt: qui Thermodonta, Ly-
(cumque,
Sangariumque bibunt: quos ira, et murmure ter-
(ret
Horrisono undarum pontem indignatus Araxes:
Quique habitant qua consurgens juga mittit in
(omnem
55 Quam vasta est Asiam Taurus, mons ma-
(ximus orbis:
Gens quoque cui magnum quondam latrator A-
(nubis
Numen: et indigenae Libyae, Libycaeque Cyre-
(nes:
Et quos ubere alit laeto celeberrima centum
Urbibus, immiti et Rhadamantho Gnoisia tellus:

[a] Act. c. 2, v. 9 et. seq.


60 Et qui multa adolent, pretiosaque thura
(Sabaei,
Diversi linguis, diversi moribus omnes.
Quisque tamen patria lingua se, et voce doceri (a)
Credebant. Nova inauditae commercia linguae
Attoniti auscultabant. Vox eadem, et sonus
(idem, (b)
65 Jam non idem; alias (mirum!) totidemque
(sonabat
Linguas, quot varias illabebatur ad aures.
Orbem Terrarum vox illa, et *Spiritus ille*
Implevit. Portenta Deus, simulacra nefanda
Dejecit, queis sacrilegas extruxerat aras
70 Caeca superstitio, plenaque adolebat acerra.
Bis seni illi homines indocti, ac retia tantum
Tractare, et pisces hamo prensare periti;
Aura Divina aflat, facti organa Sancti
Spiritus, Ignigenae intonuere. Tonitrua coelum
75 Terrasque, et mare concussere, audita per
(omnes
Qua se se extremos in fines porrigit orbis.

IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM, ET IN
FINES ORBIS TERRAE VERBA EORUM.

Ps. 18. v 5.

FINIS.

(a) Act. c. 2, v. 7. 8.
(b) „ „ v. 12.



003